



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

De vili æstimatione suiipsius, in oculis Dei. 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

hoc existimāda, si quis plures visiones
 aut consolationes habeat; vel si peritus
 sit in Scripturis, aut in altiori ponatur
 gradu: sed si vera fuerit humilitate
 fundatus, & diuina charitate repletus:
 si Dei honorem purè & integrè sem-
 per quærat: si seipsum nihil reputet,
 & in veritate despiciat, atque ab aliis *Ps. 83.*
 etiam despici & humiliari magis gau-
 deat, quàm honorari.

CAP. VIII.

*De vili æstimatione suiipsius, in
 oculis Dei.*

Loquar ad Dominum meū, cum *Seruus
 Gen. 18*
 sim puluis & cinis? Si me am-
 plius reputauero, ecce tu stas contra
 me: & dicunt testimonium verum
 iniquitates meæ, nec possum contra-
 dicere. Si autem me vilificauero, & ad
 nihilum redegero, & ab omni propria
 reputatione defecero, atq; (sicut sum)
 puluerisauero, erit mihi propitia gra-
 tia tua, & vicina cordi meo lux tua: &
 omnis æstimatio, quantulacumque
 minima, in valle nihilitatis meæ sub-
 mergetur, & peribit in æternum. Ibi
 ostendis me mihi, quid sum, quid fui,
 & quò

& quò deueni: quia nihil sum, & nesciui. Si mihi ipsi relinquer, ecce nihil, & tota infirmitas. Si autem subito me respexeris, statim fortis efficior, & nouo repleor gaudio. Et mirum valdè, quòd sic repentè subleuor, & tam benignè à te complector, qui proprio pondere semper ad ima feror.

2 Facit hoc amor tuus, gratis præueniens me, & in tam multis subueniens necessitatibus, à grauibus quoque custodiens me periculis, & ab innumeris *Ioan. 12* (vt verè dicam) eripiens malis. Me siquidem malè amando, me perdidit: & te solum quærendo, & purè amando, me & te pariter inueni, atque ex amore profundius ad nihilum me redegit. Quia tu, ô dulcissime; facis mecum supra meritū omne, & supra id, quàm audeo sperare vel rogare.

3 Benedictus sis Deus meus; quia licet ego omnibus bonis sim indignus, tua tamē nobilitas & infinita bonitas, *Mat. 5.* numquam cessat benefacere etiam ingratis, & longè à te auersis. Conuerte nos ad te, vt simus grati, humiles, & deuoti: quia salus nostra tu es, virtus, & fortitudo nostra.

CAP.